

1524

ditum millibus , ac ducentis equitibus eodem Joannem Mediceum miserat . Itaque Veneti , ac Sfortiadæ junctis opibus Rhætos transitu prohibere nituntur , ne (ut Galli summopere optabant) iis , qui Laude erant , adjungerentur . Levioribus igitur certaminibus potius , quam justo prælio aggrediuntur ; leviores equites eo pugnæ genere assueti modo laceſſere , modo fugæ simulatione longius elicere ; tum vehementiori impetu adoriri . Gens hujuscemodi præliis minime assueta cum triduo inter Abduam , Brembumque amnem octo a Bergamo passuum millibus substitisset ; neque pecunia ad stipendia persolvenda ; neque commeatus ad alendos millites inventisset ; moræ impatiens , tædio confecta , levitatem Gallorum , Rentique Ceritis , qui eos ductaverat , negligentiam incusans , eo , quo profecta erat , itinere in suos fines regressa est .

*Abiatum a
Sfortia ex-
pugnatum.*

His gestis , ad Abiatum occupandum Sfortia animum adjectit ; ac Joanne Mediceo cum militum manu præmisso , qui pontem disjiceret , quem in Ticino amne ad Bufalorum Galli struxerant , præsidioque firmaverant ; mox ipse cum Mediolanensem popularium agmine , qui militiæ adscripti fuerant , eodem contendit ; illiusque mœnibus ab oriente sole usque ad meridiem tormentis quassatis , summo ardore oppugnat . Propugnatoribus , quamvis initio ingenti conatu hostem repellerent , ea tamen vis animorum , aut corporum non fuit , ut milites per aggeres , fossasque aquis oppletas muro appropinquantes sustinerent , atque impedirent , quin eodem die magna eorum cæde , oppidanorumque captivitate , locus opima præda refertus misere caperetur , ac diriperetur ; licet relata ex hostibus spolia maxima postea cladis semina fuerint ; ut pote quæ extialis vi morbi correpta , pestiferam luem in Galliam Cisalpinam , ac præcipue Mediolanum diffuderint , quæ late plebem pervagata , in ea civitate quinquaginta ferme mortalium milia absumperit . Dum hæc gererentur , Gauferius , qui , ut diximus , ad Mortariam substiterat , foederatorum exercitu adventante , Novariam se receperat : acrius a nostris obsidetur ; commeatum , qui e citeriore Ticini ripa in castra supportabantur , facultas adempta ; multi pedites , atque equites belli incommodis affecti trans Alpes iter arripere ; alii signa deserere ; robur exercitus in dies debilitari , atque infringi ; jam

*Pestilentia
ex hostium
manubiosis
exorta.*

non